



**Philippi Ecclesiae Eystettensis XXXIX. Episcopi. De
Eivsdem Ecclesiae Divis Tvtelaribvs. S. Richardo. S.
Willibaldo. S. Wvnibaldo. S. Walpvrga. Commentarius
nunc primum evulgatus**

Philipp <Eichstätt, Bischof>

Ingolstadii, 1617

Cap. XXXIV. De oleo, quod per annum steterat, rursus manante.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70477)

quam in alium locum decidētes. Sed postquam negligentia corrigitur, & vasa, in quibus mundè sacrum oleum recipi debet, destillationi aptantur, eisdem sine omni cooperatione illabitur; per quod aperte mōstratur, vt in vasa munda recipi debeat, quia ab immundis locis vel vasis omnino se præferuat. Et sæpe compertum est, quod receptum etiam in vase mundo, si immundè vel irreuerenter teneatur, vel ad loca, vbi peccati illecebræ perpetrari consueuerunt, deportetur, omnino euanescit; vel per orificium vasis nequaquam ad effectum sanationis egreditur.

CAPVT XXXIV.

De oleo, quod per annum steterat, rursus manante.

IX scriptis etiam collegimus, & certa relatione fide dignorum intelleximus, quòd ciuitas Eystettensis, vnà cum tota Diœcesi Ecclesiastico interdicto quodam tempore supposita fuerat, propter quasdam damnosas iniurias, quas Episcopus,

Tempore interdicti non fluxit oleum.

pus, qui tunc præerat, à Baronibus terræ & incolis sustinuit. Ex tunc liquor sacræ emanationis stillare cessauit, vsq; in diem, quo Ecclesia restituta esset indemnitati. Et idem Venerabilis Episcopus, cum vniuersitate ciuitatis indicto ieiunio, nudipes, & absq; lineis, ad monasterium B. VValpurgis ascendit, deuotè ac subnixè cum vniuersitate populi sui supplicans, ne effectum tantæ benignitatis, sicut est emanatio sacri liquoris, in amplius priuarentur. Et accedens ad altare dictus Pontifex Missarum solemniam, astante populo, deuotè peregit, & in confectio-
ne Sacramenti, & eiusdem perceptione, fa-
cratissimus liquor, qui infra spatium vnus
anni nequaquã destillauerat, nec vllò mo-
do se ostenderat, ad eò abundanter erupit, vt
ampullam dimidiæ *pinte*, capacitatis, vel
vnus * *serici* adimpleret. Quod Pontifex
videns cum plebe deuota, plusquam narra-
ri potest, gaudio repletus, immensas gratia-
rum actiones Deo ac B. VValpurgæ, pro
concessione tanti beneficij persoluit.

Notandum etiam, quod idem sacrum

*Eadem p. h. lip.
pus in v. m.
s. Walpurgis
na prouol. a
firm.*

*Manat denno,
sublato iur-
dicto.*

** Alter M. s.
seriti: forie;
seria seriaz,
qua ollam &
gnificat.*

oream, d. al, impyora

*Obserua lector
mirum quid-
dam.*

oleum tantæ munditiæ ac meracitatis exi-
flit, vt sine omni corruptione, & foeda ma-
culationis feculentia per ducentos annos
seruatum, consimilis puritatis inuenitur,
cum illo, quod hodierna die de stillicidio
eiusdem sacrae emanationis susceptum est.

CAPVT XXXV.

*Ratio de oleo stillante, de quorundam
Sanctorum membris.*

Nunc videamus, qui sibi vult per si-
gnificationem emanatio olei in beata
VValpurga, vel aliis sanctis, puta in B. Nico-
lao, vel B. Catharina, vel quibuscunq; san-
ctis concessum est, ex speciali prærogatiua
meritorum, & ostensione magnitudinis
præmiorum. Iuxta quod sciendum, quod
oleum cuiunque liquori infusum super-
natat: vnde misericordiam ex similitudine
designat: superexaltat enim misericordia
iudicium. Et item: Misericordia eius, super
omnia opera eius. Oleum nihilominus ma-
gnæ est lenitatis, & multæ utilitatis; nam
illuminat, pascit, & sanat. Sic pietas secun-
dum

Iacob. 2.

Psal. 144.

*Proprietates
olei.*